



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pia Desideria**

**Hugo, Hermann**

**Mediolani, 1634**

XIV. Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi. Cant. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43734**



*Sub umbra illius quem desideraueram.  
sedi. Cantic. 2.*

*C. Blancous f.*

29.

## XIV.

Sub vmbra illius, quem desideraueram,  
fedi. *Cant. 2.*

**F**ors iter ignotas longum meditabar in oras,  
Et bona iam coepta pars erat acta via.  
Vique solet lassus metam spectare viator,  
Credebam spatijs pauca deesse meis.  
Vi coepi reliquos metiri prouida passus,  
Maius erat medio, quod superabat, iter.  
Hei mihi! tum refuga ceciderunt corpore vires,  
Totque nimis durus, millia visa labor.  
Ergo oculos caelo misera cum voce tetendi,  
Ferret an hinc aliquis, voce vocatus opem?  
Et mihi, quis dixi, dabit hisce sub aestibus vmbra?  
Solis ab infesto verberor igne caput.  
Aspice, sub plantis quam ferueat arida tellus,  
Siccaque senustos vrat arena pedes.  
O nemora! o rigua, frondosa cacumina, sylua!  
O latebra! o fontes! arboreaeque domus!  
O utinam, virides pandat mihi populus alas,  
Aut caput hoc mali fronde comante tegar!  
Audiit ille meas solitus lenire querelas,  
Cuius

Cuius erat toties umbra petita mihi.  
 Et scio, quo properas. scio, quas, ait, arripis oras,  
 Et scio, quam toties anxia poscis opem:  
 Cœlestis Solyma longinquam tendis in urbem,  
 Quamque agis in terris, huc tibi, vita via est,  
 Iamque grauat longi te tanta molestia cursus  
 Et cuperes Mali fronde virente tegi.  
 Ecce tuis venio sperata laboribus umbra,  
 Quamque voues, placido tegmine Malus ero.  
 Aspicias herentes funesta ex arbore palmas,  
 Quosque fodit geminos cuspis acuta pedes?  
 Aspicias innumero laniatum vulnere corpus?  
 Aspicias? heu vix est corporis umbra mei,  
 Hæc tibi quesitam fesse dabit umbra quietem,  
 Portus, & in duris, hæc tibi malus, erit.  
 Dixerat, et vires subito rediere iacenti,  
 Tanta loquente Deo, visque vigorque fuit.  
 Tunc ego suspiciens, in sponsum lumina fixi:  
 Hei mihi suspensus de Cruce sponsum erat  
 Et qualis, sponse, inquã hæc est, quã tristis imago?  
 Hæcine erit capiti Malus aprica meo?  
 Hac ego sanguinea languens residebo sub umbra?  
 Tu, crucis infami stipite fixus eris?  
 O mala Malus! & infelix, quæ te manus umquã  
 Fixit humo! manus hæc, cæde oruennta fuit.  
 Attamen

Attamen hec letos malus iacit ardua ramos,  
 Utque cubem, placidos umbra dat apta toros:  
 Umbra dat apta toros, sed non tamen apta sopori:  
 Ah! magis haec lacrymas, Malus et umbra petunt.  
 O bona Malus! & o felix, quae te manus umquam  
 Fixit humo! hanc sidus iam decet esse manum  
 Ah video, cui te similem, mi sponse, vocabo,  
 Sape mihi Umbrifera munere functe domus.  
 Qualis onusta rubris late sua brachia pomis;  
 Spargit, & apta siti munera Malus habet;  
 Exsuperatque suas, numerosa fruge sorores,  
 Vna nemus lassis, hospitibusque penus:  
 Talis es aestiuis mihi, sponse, caloribus umbra;  
 Lymphaque dum sitio, dum fameoque, cibus.  
 O quoties ego te! quoties, mi sponse, vocavi,  
 Ut semel illa meum conderet umbra caput  
 Hic ego, si liceat, dixi, gemebunda sedebo;  
 Ut sedet amisso mœsta columba viro.  
 Et modò purpurei concreto sanguine crines,  
 Et modò materies, labra, doloris erunt.  
 Nunc oculi ante oculos, nunc, frons, nunc pedula cervix,  
 Nunc os nunc atro barba cruore madens  
 O quoties latus hoc, lacrymansq; gemensq; videbo  
 Ne videam, lacrymis, impediaturque meis  
 Multa tamē dabit hoc unū mihi vulnera, vulnus,  
 Saucia

*Sanciam dum geminos labar ad vsque pedes.  
Tuncq; iterū amplexu lignū lacrymabile strigēs,  
Subscribam hæc plantis verba suprema tuis:  
En duo qui, causam præbent sibi mortis, Amantes;  
Mergitur hæc lacrymis, ignibus ille perit.*



HONOR:

## H O N O R.

Apud Delr. in

C. 7. Cant.

**V**Mbra fit ex corpore & luce, & est itinē-  
rantium refrigerium ab æstu, & prote-  
ctio à tempestate, Arbor vitæ, scilicet *malus*  
est *sancta Crux*: fructus eius *Christus*, *umbra*  
tutela vel refrigerium humani generis.

Quo-